

Q. D. B. P.
DISPUTATIO THEOLOGICA,

^{Qua}
FORUM DEI

ABSOLUTORIUM

juxta scripturæ ductum delineavit,

idque ab iis,

^{Quis}
JOHANN. BAPTISTA GONET

adfert,

objectionibus vindicatum,

Sub

PRÆSIDIO

DN. FRIDEM. BECHMANNI,

SS. Theol. D. & ejusdem P.P.

Domini Patroni, Fautoris & Præceptoris sui
summe colendi,

publicæ ventilationi submitit

M. Gottfried Pfeiffer / Eisenbergensis,

AUTOR & RESPONDENS,

ad d. Aug.

In Auditorio Theologico.

J E N Æ,

teris JOH. DAV. WERTHERI, Typographi Ducalis.

Anno M. DC. LXXXII.

II. diss. A
6, 8

54. A 146 (8)

~~54. A 146 (8)~~

7.

Disputatio
FORGAM DEI
WEBSONITONUM
Jura temporaria ducum delinea-
vit
Johann Baptist Gornet
Dn. Fridem. Blumhann
M. Gornet
Licent. Joh. Dav. Werthner
Hans M. DC. LXXX.





CAP. I.

Quo ipsius Tituli ratio evoluitur.

§. I.



Forum à *ferendo* dictum est, quod omnis generis res eo conferantur & exponantur: Eundem ad modum Romani sua iudicia consueverunt fora dicere, quod ibi variæ varii generis controversiæ & causæ collatæ fuerint, & ut deciderentur, propositæ. Vid. *Rosinus in Antiq. Rom. Cicero in Orat. Absolutorium* id nuncupatur, quod ad absolutionem facit & pertinet, hinc *Tabula seu sententia absolutoria*, qua (ut ipse verborum sonus indicat) reus à delictis suis liber pronunciat, justusque constituitur.

§. 2. Forum, prout iudicium & causas in eo coram iudice perorandas denotat, *soli* simul est & *Poli*. Forum soli seu humanum in his terris datur, & qui in illo iudicis partes sustinet, homo est. Hoc forum *Prov. 17. v. 15.* intelligitur: *Qui justificat impium, &c.* Lutherus reddidit: *Wer den Gottlosen recht spricht.* Tale etiam forum *2. Sam. 15. v. 4.* indicatur, ubi Absolon: *Utinam quis me iudicem constitueret in hac terra, & ad me veniret, cujus lis est & causa & ego justificarem.* Lutherus vertit: *Daß ich ihm zum Rechten hülffe.* Forum autem *Poli* hic loci considerandum venit & est, quando homo peccator in Dei conspectu apparet, ab eo gratiam petit, peccatorumque absolutionem consequitur ac justiti-

tiam, qua caret. Vox *absolutorium* pro acceptione *Fori*, ad quod refertur, duplici duplicem significatum admittit.

§. 3. Hoc Forum divinum significatur etiam, quando mentio fit *Tribunalis DEI, Throni DEI*: Quemadmodum enim Rex pro tribunali vel in throno sedens, reum à crimine absolvit: Ita & DEus, tanquam Rex Regum & Dominus Dominantium, hominem peccatorem, tanquam reum, quasi in throno vel tribunali sedens, à peccatis absolvit, eumque in gratiam recipit. Et sicuti hoc Forum absolutionem respicit; sic hæc non uno describitur nomine. Rom. 4. v. 7. Ἀφεσις ἀνομιῶν, ut & Ἰστικάλυψις ἀμαρτιῶν. Remissio iniquitatum, oblatio peccatorum dicitur. Sunt, qui huc referunt locum Rom. 3. v. 25. ubi dicitur: εἰς ἐνδειξιν τῆς δικαιοσύνης ἧς διὰ τὴν πίστιν τῶν ἀμαρτημάτων. In ostensionem justitiæ suæ propter remissionem peccatorum; quamvis alii h. l. accipiant justitiam DEI legaliter, quatenus opponitur misericordiæ DEI vid. B. Bald. in h. l. Referunt etiam huc nonnulli locum Rom. 4. v. 5. ubi mentio *imputationis fidei ad justitiam*, quamvis hæc cum ipsa absolutione formaliter non prorsus idem esse videatur.

§. 4. Possemus plura, in rem præsentem facientia, adferre, & quod forensis significatus justificationis in articulo de Justificatione obtineat, multis hic ostendere, sed cum ea per se pateant, & alia necessaria tangenda sint, diutius his non inhærebimus. Ex singulis, quæ sequentur, capitibus, forensis significatio patebit, cum subinde in hoc articulo forenses voces adhibeantur.

CAP. II.

Quo, quis in hoc foro Judex sit, declaratur.

§. I.

Si in foro delictorum venia impetranda, judex, qui eam det, adsit, necesse est: Coram divino tribunali peccatorum re-

re-

remissio haberi non potest, nisi, qui hanc impertiat, Deum
judicem constituamus. *Quis enim potest remittere peccata,
nisi solus Deus?* Marc. 2. v. 7. Imo, quin Spiritus Sanctus hoc
assertum expressius adstruat, doceatque, homini à DEO Trin-
uno petendam esse peccatorum remissionem, nemo, qui scri-
pturam conferet, dubitabit. Clarius vix quicquam dici pot-
est, quam quod Rom. 8. v. 22. dicitur: *DEUS est, qui justificat.*

§. 2. Sumitur autem DEUS in præsentī loco non per-
sonaliter, sed essentialiter. Hoc ut pateat, in memoriam revoce-
mus actus DEI & ejusdem opera. Actus DEI in DEO sunt ipsa
DEI essentia, quatenus à nobis per modum actus concipitur:
Opera vero DEI sunt vel ad intra vel ad extra: Opus DEI ad
intra dicitur actio, per quam in DEO terminus vel persona
producitur: Opus vero ad extra est actio, per quam extra
DEum terminus aliquis seu effectus producitur. Quod a-
ctio, de qua in præsentī agimus, nec operibus DEI ad intra,
nec DEI operibus ad extra annumerari debeat, quilibet, qui
secum probe expendit, neque per eam in DEO terminum seu
personam produci, neque per eam extra DEum effectum con-
stitui, intelliget. Ergo actum, qui in hoc foro à iudice ex-
ercetur, ad divinam essentiam, quatenus per modum actus
spectatur, & speciatim ad divinam voluntatem, qua una ea-
demque Pater, Filius & Spiritus Sanctus volunt, referendum,
nec ab eo realiter distinguendum statuimus. Habemus hic
non præeuntem tantum, sed & manu ducentem Theologum
de Christi Ecclesia meritissimum B. Dietericum, qui in Cate-
cheticis, quas tradidit, Institutionibus ait; *Vocabulum DEI in
h.l. essentialiter, qua tribus personis Trinitatis commune est, accipi.*

§. 3. Quid autem Deum moveat, ut hominem, pœni-
tentine suorum delictorum ductum, ab iis absolvat, eique
justitiam Christi imputet, inquirendum est. Duo sunt, quæ,
ut Trinunus DEUS peccatorem justum pronunciet, faciunt.
Alterum est *Gratia DEI*: Alterum verò *meritum Christi*, infi-
nitam movendi virtutem penes se habens.

§. 4. Gratiam DEI nihil aliud, quam paternum illum
DEI favorem, misericordiam & immensum Ejus amorem,

quo ipse, ut nostri misereatur, nullo operum nostrorum merito movetur, in presenti denotare, ex negotii hujus natura, satis dispalescit. Peccatis fanè onusti sumus, eorumque reatu & pœnæ subjecti, & ut horum remissionem consequamur, ac DEUS nobis Christi justitiam imputet, viribus nostris nequaquam efficere valemus. Cum igitur DEUS iniquitatum veniam concedit, hominique largitur, quod ipsi deest, quis non videt, id misericordiæ & gratiæ divinæ, qua omnis in eo, cui exhibetur, dignitas excluditur, deberi? Quando Apostolus Tit. 3. v. 5. in eo est, ut, quæ nostræ salvationis impulsiva causa sit, ostendat, nostram justitiam plane rejicit, nostra opera longe imperfectiora pronunciat, quam ut iis DEUM, quo nobis salutem conferat, movere possimus; DEI verò gratiæ ac paterno illius in nos affectui hoc unicè adscribit, ut ne pereamus. Verba ibi sic habent: Οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνη, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἄυτῶν ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς Θεός. *Non ex operibus, quæ sunt in justitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit DEUS.* Hunc ipsum locum B. Lucas Osiander in sua Bibliorum paraphrasi pulchrè dilucidat: *DEUS, inquit, nos è faucibus inferni eripuit, non motus nostris meritis, sed sola sua miseratione.* Et porro ratiocinatur. *Ergo æterna salus nostra (nostra peccatorum absolutio coram DEO) non ullis nostris aut aliorum hominum meritis, sed soli misericordiæ divinæ adscribenda: Christi autem beneficia non applicantur nobis per opera nostra, sed per fidem, quæ tanquam manus oblatam misericordiam arripit. Qui autem per opera nostra applicationem fieri dicunt, revera nihil aliud dicunt, quam quod salus nostra (justificatio nostra) sit ex operibus nostris & non ex gratuita DEI misericordia. Quid enim nobis prodest meritum Christi, nisi nobis applicetur? Si autem per opera nostra applicatur, tunc salus nostra (justificatio nostra) operibus nostris constat, quod cum Pauli verbis è diametro pugnat, quippe in quibus opera nostra simpliciter à causa salutis nostræ (nostræ justificationis) excluduntur. Hactenus ille. Si igitur, ut supra dictum, gratia DEI, qua justificat, est ipse favor DEI, paternus amor & misericordia DEI, sequitur, quod non sit donum aliquod*
gra-

gratuitum supernaturale, homini infusum, cum favor DEI, amor & misericordia in DEO sit, ipsa scilicet divina essentia & consequenter DEUS non justificat peccatorem infusione doni supernaturalis.

§. 5. Gonet Clyp. Theol. Thomist. Tom. 4. tr. 9. disp. 1. de Justif. contra hanc sententiam (1) ita opponit: DEUS peccatori non remittit offensam, nisi fiat ipsi pacatus. Sed DEUS nequit pacari homini peccatori sine alicujus doni supernaturalis infusione. Addit rationem, quia DEUM pacari nobis, est eum diligere nos dilectione speciali, quæ non esse potest, nisi DEUS per talem dilectionem aliquem effectum peccatori imprimat seu donum aliquod gratuitum & supernaturale ipsi infundat. Concludit tandem. Ergo DEUS nequit pacari homini peccatori sine alicujus doni supernaturalis infusione & intrinseca peccatoris mutatione. Verum quid ad hunc, quo Gonet utitur, discursum, responderi debeat, haut difficulter patet: Nam ut nervum ipsum incidamus, falsum est, quod DEUS peccatori non possit fieri pacatus sine doni supernaturalis infusione, five nisi illi per dilectionem aliquem effectum imprimat. Scriptura longe diversum docet Rom. 5. v. 8. ubi hæc inveniuntur: DEUS commendavit suam charitatem erga nos, quod, quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Hic Paulus ostensurus, qui fructus divinæ charitatis sit, non dicit, eum esse infusum, quendam habitum aut gratiam infusam, sed Christi mortem, per quam fide apprehensam justificari possimus. Factus igitur est DEUS homini peccatori pacatus, & peccator DEO reconciliatus per satisfactionem Christi, sine infusione doni supernaturalis. Potest res declarari exemplo Regis terreni, quem delicto aliquis subditorum offendit; talis Rex delinquenti non remittit offensam, nisi ipsi fiat pacatus: Si quis dixerit, Regem pacari delinquenti non posse sine alicujus doni infusione, absurdus erit; sufficit enim satisfactio sive ab ipso delincente sive ab alio, ejus loco, præstita, qua rex movetur, ut delictum condonet sine interna delinquentis mutatione. Quod porro Gonet dicit, DEUM nobis pacari idem esse ac eum diligere nos dilectione speciali, quæ esse non possit, nisi DEUS per
eam

eam effectum peccatori imprimat, id rursus est somnium Gonetii: Nam dilectio, qua DEus hominem diligit, extrinsecè hominem denominat, unde necesse non est, ut ea in homine habeat terminum vel effectum aut homini effectum imprimat. Sane DEus ab æterno dilexit quos elegit ad vitam, nec tamen aliquid ipsis impressit.

§. 6. Gonet (2) objicit: *Divina voluntas non potest intrinsece mutari in se ipsa, sed solum potest acquirere novum respectum rationis ex tali mutatione objecti creati, ad quod terminatur, unde si voluntas divina incipiat amare peccatorem, quem antea odio habebat, ipsumque per actum specialis dilectionis respicere, oportet, quod aliqua mutatio intrinsecè fiat in ipso peccatore. Resp. Si quicquam ex hac collectione sequitur, sequitur hoc, quod hominem impium, si coram DEO iudice se sistere debeat, mutari oporteat, quod facilè concesserimus. Hoc enim loco non quærimus, an homo, antequam justificetur, ita mutandus sit, ut DEus ex tali mutatione novum respectum rationis acquirat, eique peccata condonet: Sed num mutatio ista in justificatione fiat per infusionem gratiæ intrinsecæ, ut DEus infundendo donum aliquod supernaturale, hominem justificet? Prius affirmatur, posterius vero negatur. Nam, quod prius attinet, in regeneratione hominis impii intellectus illuminatur, in eoque, ut & in voluntate fides accenditur, ut ipse objectum salvificum salutariter agnoscat, ac oblatum bonum amplectatur, imo, quia donatur fide, fidei etiam fructus conspiciendos deinceps præbeat. Verum de hoc impræsentiarum non agitur; nam quod regeneratio justificationem præcedat, neque ejus circulum ingrediatur, in Theologorum scholis discimus.*

§. 7. Plura equidem sunt, quæ Gonet hic obgannit, sed, cum in cap. seqq. ipsa ratio formalis negotii hujus sit evolventa, ac, quæ eam impugnare videntur, diluenda, hoc labore, qui mox resumendus, supersedere possumus.

§. 8. Alterum, quod DEum ad id, ut hominem coram tribunali suo justum pronunciet, movet, est meritum Christi, pro omnibus hominibus præstitum. Cum enim dilectio & gra-

& gratuita DEI misericordia in eo uno & solo fundetur; hæc verò hominem justificandum tangat, non possumus, quin asseramus, in hoc Salvatoris merito, utpote vero & immoto fundamento peccatorum remissionem esse quærendam. Rom. 3. v. 24. dicimur *gratis justificari per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Redemptio, quæ in Christo Jesu esse dicitur, non secundum divinam naturam tantum, sed etiam secundum humanam, adeoque utramque naturam peracta fuit. Concurrit itaque humana natura ad hanc redemptionem patiendò, moriendò, divina valorem infinitum addendo passioni & morti Christi, ut passio & mors sit non solum hominis, sed ipsius DEI passio & mors, non tamen in divina, sed assumta humana natura.

§. 9. Ne quem dubium in eo vellicare videatur, quod Christo iudicis partes supra datæ fuerint, ubi dictum est, vocem DEI, cum DEus justificare dicitur, essentialiter accipi, prout etiam Filio competit, nunc ille Advocati munere fungi censeatur, notandum erit, Christum dupliciter considerari posse: Uno modo ut persona secunda Divinitatis est, & cum prima ac tertia, Patre & Spiritu Sancto verus & æternus DEus, hoc modo æque ac Pater & Spiritus Sanctus nobis peccata condonat: Altero modo ut *persona, quæ simul verus DEus & verus homo est*, nobisque patiendò & moriendò peccatorum remissionem promeruit. Priori modo iudicis munus ei rectissime competit: Posteriori causæ merentis titulum gerit, ac advocatum agere verissimè dicitur.

§. 10. Cum de hoc Salvatoris merito & satisfactione, qua tanquam certissimo ac sufficientissimo *λύτρω* fruimur, Cap. 4. fufius sit differendum, heic nobis brevioribus esse liceat.

CAP. III. In quo Reus sistitur.

§. I.

Nunc ad istud est deveniendum, ut, quis in hoc foro reus sistat.

B

sta.

statur & delictorum suorum veniam quærat, percipiamus. Hic est homo peccator, sed credens: Ut res pateat clarius, duplex *Rei* consideratio instituenda videtur. Ille enim primo spectatur ut impius, peccatis eorumque reatu & pœnis adstrictus; deinde verò ut credens & criminum pœnitentiâ tactus.

§. 2. Homo in nequitix statu adhuc positus & ad saniores mentem nondum redactus, eorum, quæ perpetravit, criminum incufatur. Moses enim, cujus legem transgressus est, actorem agit severissimum, cum præcepta sua in maximis minimis impleta velit. Ita Joh. 5. v. 45. legitur: *Ἔστι ὁ κατηγορῶν ἡμῶς Μωσῆς*: Est, qui accusat vos, Moses. Hic testem, omni exceptione majorem, ipsam nimirum conscientiam, adducit; ista quam male actum sit, satis superque testatur. Scriptura luculenter id significat, dum Rom. 2. v. 15. legimus; *attestari conscientiam & cogitationes se inter se accusare*.

§. 3. Deinde homo ut credens, ac suorum peccatorum pœnitentiâ tactus, considerari potest. Ut autem rectius nobis constet, quisnam homo verè credens vocetur, aut quæ & qualis fides sit, quâ homo suorum delictorum absolutionem consequi potest, fidei ipsius naturam examinabimus.

§. 4. Fides suo ambitu duplicis generis actus completitur. Alii spectant ad intellectum, alius verò ad voluntatem. Fides ex parte intellectus considerata importat (1) notitiam, (2) assensum. Per *notitiam* nihil aliud intelligimus, quàm notitiam tum Christi Domini & Servatoris nostri unici, & eorum, quæ nostræ salutis causâ, ut DEO nos reconciliaret, fecit & passus est, tum gratiæ DEI & promissionum Evangelicarum de gratuita remissione peccatorum, propter Christum nobis impertiendâ. Per *assensum* quid indicetur, captu difficile esse haut arbitramur. Assentiri enim, quod ad præsens attinet, dicimur, quando divina & supernaturali revelatione ita nitimur, ut, quicquid per eam ad nos pervenit, id certum ac verum habeamus. Assensus autem, quem iis, quæ in scriptura revelata sunt, præbemus, duplex est, *generalis & specialis*. *Generalis* Assensus est, cum quis v. g. credit in genere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, Deum
omnes

omnes homines sua gratia complecti velle. *Specialis* est, cum quis credit, sibi etiam per Christum acquisitam esse peccatorum remissionem, se propter Christum consecuturum esse gratiam, remissionem peccatorum & vitam æternam. Talis assensus erat in Paulo Gal. 2. v. 20. ubi ait: *Christus dilexit me & seipsum pro me tradidit.* Ad fidem justificantem non sufficit assensus *generalis*, sed requiritur etiam *specialis*. Fides ex parte voluntatis spectata *fiduciam* infert. Hoc ipsum ut probemus, manifesta scripturæ loca suppetunt, & ea imprimis, ubi fides objectam, quod non est integra propositio, habere dicitur, e. gr. Rom. 3. v. 25. fidei tribuitur objectum nempe *sanguis Christi*. Quemadmodum autem *sanguis Christi* non est integra propositio: Ita fides quatenus pro objecto sanguinem Christi habet, pro assensu, qui integram propositionem semper requirit, sumi neutiquam potest. Dicta etiam, quæ Coloss. 2. v. 2. Ephes. 3. v. 19. reperiuntur, ad præsens faciunt.

§. 5. Quis fidei actus heic potissimum respiciendus veniat, disquiri solet. Solam Christi Salvatoris nostri & eorum, quæ propter nostram salutem egit & passus est, ac gratiæ divinæ & Evangelicarum promissionum de remissione peccatorum, notitiam sufficere, haut est dicendum; nam, præter id, quod fides in ea ne formaliter quidem consistat, in illos etiam, qui remissionis peccatorum & vitæ æternæ nunquam participes erunt, talismodi cognitio cadit. De assensu & quidem (1) generali, quin huc pertineat, dubitari non potest; verum nec eum sufficere, aut heic præcisè spectandum esse, triplici fundamento stabiliemus: (1) Assensus divinæ revelationi à multis præbetur, qui tamen à suis peccatis neutiquam absolvuntur. Exemplo esse potest Simon Magnus, qui credidisse & in signum fidei suæ fuisse baptizatus dicitur. Act. 8. 13. At ille coram tribunali divino à peccatorum reatu liberatus non est. (2) Propositionibus, quibus in scriptura res divina traduntur, assensum præbere, est actus intellectus: Sed actus fidei justificantis, quò quis credit in DEUM, importat etiam firmam fiduciam, quæ voluntatis actus est.

3) Si quis per fidem remissionem suorum peccatorum obtinet, varia simul consequitur beneficia, ut sunt e. g. *ὑποθεσία* h. e. jus filiorum DEI, tranquillitatem conscientiae & pacem, adiutum & accessum ad DEI gratiam Rom. 5. v. 1. &c. At quamvis omnibus, quae divinitus revelata sunt, firmiter assentiamur, per hunc tamen generalem assensum horum participes fieri non possumus. Quin *assensus specialis* huc spectet, nullum planè dubium est: Sed tamen ultimum fidei complementum addit *Fiducia*: Fiducia enim est ille ipse actus, quo in uno & solo Christi merito ita recumbimus, ut, per & propter hoc condonationem peccatorum & reconciliationem cum DEO nos esse habituros, certissime credamus. Id satis luculenter tradidit Theologus celeberrimus, B. D. Musæus, quando c. 4. disput. 3. §. 183. *Tract. de Convers.* ita scribit: *Quamvis notitia sine assensu & assensus sine fiducia esse possit, non tamen notitia vel assensus sine fiducia salutaris est, aut ad impetrandam apud DEUM gratiam & remissionem peccatorum quicquam valet: Fiducia enim est fidei in Christum velut anima, vita & complementum & cum notitia & assensu junctim sumta, constituit unam completam & vivam fidem, quae Christum Mediatorem, ejusque satisfactionem, pro peccatis nostris praestitam, salutariter apprehendit, eaque, tanquam *λύτρωσις* pro peccatis nostris sufficientissimo, DEO Patri exhibita, gratiam & remissionem peccatorum apud DEUM nobis impetrat.*

§. 6. Itaque si reus tali fide instructus est, non habet amplius, qui eum metu judicii perfundat, cessat conscientiae cum ipsa in Christi vulneribus tranquillitatem inveniat.

§. 7. A praesenti locò non est alienum, si percepto, quod homo peccator, sed credens reus sit, & intuitu fidei ad Christi meritum relatæ absolvatur à suis peccatis, inquiramus, an ejus anima tantum, an verò etiam corpus justificetur? Totus profecto homo quoad animam simul & corpus justificetur, necesse est, cum totus homo peccatis infectus aeternaeque damnationi obnoxius sit. Ex sacris pandectis notum est, quænam hominis partes peccatis commaculentur; non enim

enim

enim animæ tantum, ejusque facultatibus turpitudine inest, sed corpus etiam per peccata factum redditur, quamvis aliâ ratione, quàm anima: Hinc quin peccatum quoque ab illo tollendum sit, nullum dubium esse potest.

§. 8. Nec est, quod electos tantum ad hoc forum pertinere, iisque solis delictorum absolutionem obtingere censeamus; longè enim aliud scriptura nos docet, dum asserit, promiscuè homines justificari, Rom. 3. 28. *arbitramur hominem* (non additur, an electus sit, an non?) *fide justificari.* Rom. 4. v. 5. *Ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides ad justitiam.* Ubi fides ad justificationem hominis dicitur concurrere: datur autem fides etiam, in non electis, & ad tempus tantum credentibus, ergò & hi justificantur, & nihil causæ est, cur solos electos ad hoc forum spectare dicamus.

CAP. IV. exhibens Rei Delictum & Pretium.

§. I.

PEccatum, cujus in præsentis foro arguimur, est vel originale vel actuale. Intimius expensuris, quid peccatum originale sit, patet, quatuor circa idem apprimè observanda occurrere. (1) enim justitiæ originalis carentiam dicit, ita, ut in hoc peccato concepti & nati ex parte intellectus luce spirituali privati nec DEum salutariter cognoscere, nec, qua ratione sit colendus, capere, nec iis, quæ supernaturaliter revelata sunt, firmum & divinum assensum præbere possint: Ex parte vero voluntatis defectu virium diligendi DEum super omnia & bona quæ intellectus practicus præscribit, perficiendi, imo appetitum sensitivum cohibendi laborent. (2) quod heic notationem meretur, est prava concupiscentia, per quam fit, ut hominis intellectus ad pravas cogitationes & judicia temeraria, rebus divinis minus congrua sit pronus, voluntas ad

opera peccaminosa propendeat & appetitui sensitivo frena laxet. (3) peccati rationem curatius introspecturi: cognitio necessaria, est culpa seu moralis fæditas. Homo enim salutari DEI cognitione simul & sanctitate omni carens, è contrario vero nimiâ & fatis noxia cupiditate opera tenebrarum exequendi flagrans efficit, ut ipsi peccatum imputetur, ipseque ad pœnam obligetur. Quemadmodum autem culpa & reatus necessariô nexu se invicem insequuntur; ita (4) h. l. notandus Reatus est, quem Scholastici dignitatem pœnz appellant.

§. 2. Hinc autem dispecturis, anne hæc omnia ad præsens faciant, palam fit, non nisi duorum postremo loco positorum, culpæ scilicet & reatus, rationem esse habendam: Carentia enim originalis justitiæ in regeneratione, quæ hoc actu, quem jam intuemur, naturâ prior est, tollitur: Omnium namque orthodoxum Theologorum consensu & ipsius Spiritus sancti suffragiô regeneratio strictè sic dicta in eo consistit, quod in homine, qui regeneratur, cœcitas intellectus circa objectum salvificum, & voluntatis incapacitas atque carentia virium idem amplectendi tollatur, quatenus in intellectu fides tanquam lux spiritualis accenditur, & in voluntate fiducia in merito Christi producitur. Nec pravam concupiscentiam impræsentiarum attendere opus est, siquidem renovandi actus justificatione natura posterior, est, quo veterem & juxta carnem viventem hominem exuimus, novum verò induti errores mentis deponimus, voluntatem (non tamen propriis viribus) perficimus, & ut appetitui injiciamus frena, diligenter studemus.

§. 3. Deinde illa in memoriam revocanda ducimus, quæ ad peccatum actuale pertinent. Quæ quor itidem momenti istius consideratio absolvitur; (1) enim adest actus, quem divinæ legis transgressor exercet, (2) non obscurum est perspicere illud, quod ex actu hoc peccaminoso aliquid relinquitur, quod per modum dispositionis ad similes actus se habet. Hinc enim quandoque accidit, ut homo, actum crebrius crebriusque exercens, tandem illi affines factus, ex habitu agat.

agat. (3) culpa datur, quæ ex actu, & si sæpius iteretur, habitu resultat, & hominem reddit coram DEO injustum. (4) Reatus sequitur, qui est debitum quoddam seu obligatio ad pœnam subeundam contracta ex peccato.

§. 4. Si (1) peccati actum spectemus, is in præfenti negotio non tollitur, cum jam tum transierit neque adsit amplius. (2) quam peccato commisso dispositionem manere diximus, ea in renovatione, quæ justificationem sequitur, demum expellitur, ibi enim, excussis in regeneratione per accensionem fidei intellectus tenebris, ad clariorem lucem redimus, & ut, quæ fecimus, imposterum ne faciamus, damus operam. His ita pensiculis culpam cum reatu, non nisi per remissionem tollendam, restare arbitramur.

§. 5. Culpam cum reatu esse, quæ hic attendi debeat, ex eo conficimus, quod Scriptura actum, cujus naturam nunc investigamus, declaratura; terminis ad forum pertinentibus utatur. Huc inter alia faciunt in primis etiam ea, quæ Rom. 4. v. 6. 7. leguntur verba & sic habent: v. 6. καὶ ἵνα περὶ καὶ Δαβὶδ λέγῃ τὸν μακαρισμὸν τῶ ἀνθρώπου, ὃ ὁ θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων. Quemadmodum & David explicat beatificationem hominis, cui DEUS imputat iustitiam absque operibus. v. 7. μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι καὶ ὧν ἠπαλύθησαν αἱ ἀμαρτίαι. Beati, quorum remissa sunt iniquitates & quarum obtecta sunt peccata. Respicit Apostolus ad Psalm. XXXII. vers. 1. 2. ubi David beatum prædicat וַשׁוּב אֶשׁוּב אֶשׁוּב absolutum à crimine, vel cui condonatum est peccatum coram Dei tribunali, verbum enim נָשׁוּב elevavit, quandoque idem est ac condonavit, vid. Num. 14. 19. Ezech. 4. 5. 6. Mich. 7. 18. condonari autem peccatum quid aliud est, quàm culpæ non amplius haberi rationem, reatum tolli à subiecto, ut non amplius pro reo habeatur. Similiter beatum prædicat וְאֵלֶּיךָ יִשׁוּב אֶשׁוּב opertum quoad peccata, vel qui tegumentum peccatorum est consecutus coram iratâ & ultrice DEI facie, ne DEUM ad vindictam concitent, at quid est peccata esse tecta, nisi iudicem eorum rationem non amplius habere, eaque nec ad culpam nec ad pœnam imputare, omnem.

omnemque reatum à peccatore tollere, quod aliàs quoque in iudicio civili fieri videmus. Porro v. 2. David beatum prædicat eum, cui Dominus non $\Delta\psi\tau\tau$ imputabit iniquitatem, ubi futurum pro præfente ponitur, & sensus est, beatum illum esse, cui DEus iniquitatem non imputat, quæ phrasis rursus ex forô defumta est, non imputare enim est in iudicio non amplius rationem culpæ & fœditatis moralis habere, nec delinquentem amplius pro reô agnoscere, cui pœna luenda sit. Hæc Psalmistæ vestigia sequens Apostolus ait l. c. vers. 6. *Μακαρισμὸν* beatificationem (ut Erasmus reddit) hominis esse, h. e. ut benè explicat B. Hunnius in h. l. justificationem hominis consistere in hoc, quod remittit Deus iniquitates, & tegit peccata, quod non imputat peccatum, quæ rationes loquendi, ut ex præcedd. patet, ex forô defumtæ sunt, & significant justificationem hominis peccatoris coram Deo consistere in actu forensi, quô reatus à peccatore tollitur ut in conspectu DEI peccator justus habeatur, nihilque culpæ inesse ipsi putetur. Hinc eas etiam propositiones: *Justificatus est, cui iniquitates sunt remissæ. Justificatus est, cui peccatum non imputatur s. cuius peccatum obiectum est,* ex harum classe esse ducimus, quas Logici propositiones per se primi modi appellare consueverunt. Prædicatum enim subiecto competit, ita, ut ejus definitionem ingrediatur: Sed ubi obligatio ad pœnam sublata est, hominique nihil, quod damnationem adferat & odium apud Deum, amplius imputatur, ibi culpam sublatam ac reatum abolitum intelligimus, Itaque nihil impedit, quominus justificandi actum esse, quo culpa sive fœditas moralis & reatus, sive ad pœnam obligatio tollitur, asseveremus.

§. 6. Hinc captu facillimum est, quam male se habeat Gonetii distinctio justificationis in perfectam seu completam & imperfectam seu incompletam. Gonet, Theologiæ Thomisticæ Propugnator, *Clyp. Theol. Thom. Tom. IV. tr. 9. disp. 1. a. 4.* justificationem perfectam & completam describit, quod non tantum dicat remissionem offense Deo per peccatum illate, sed, etiam ablationem macule ex peccato precedenti in anima re-

ma re-

ma relicta: Justificationem imperfectam & incompletam Gonet eam nuncupat, *quæ importat remissionem offense & relaxationem pœnæ debitæ*. Imperfectam & incompletam (quam Gonet ita vocat) quo loco haberi oporteat, in subsequentibus dispiciemus. Perfectam seu completam, quam ille appellat, heic rejiciendam existimamus. Per præsentem enim actum peccatum remittitur h. e. culpa, propter quam peccator ad pœnam sustinendam obligatus est, & reatus tollitur, ut judice reconciliato ipse à reatu liber existat. At quid ita sentientes de hac, nempe justificatione completa quoad posterius potissimum membrum, ablationem scilicet maculæ ex peccato præcedenti in animo relictae statuamus? Resp. Etsi macula ex peccato relicta auferatur, tamen posterius membrum jure negandum arbitramur. Dicis: Sed datur interna justitia, ejusque incrementum, hoc autem concessio, quemadmodum concedendum est, cum homo sanctitati studere, hujusque incrementa indies capere debeat, ergo datur hæc justificatio completa, suo amplexu sanctificationem includens & consequenter maculam peccati ex peccato in animam relictam auferens. Verum hunc ex animo scrupulum, qui stimulare videtur & pungere, evellentes reponimus, justificationem cum renovatione turpiter confundi, cum hæc ab illa multis modis differat. Digna sunt, quæ hic apponantur, verba B. Henrici Eckardi SS. Theologiæ Doctoris celeberrimi, quæ in Pandectis Controversiarum, quas ille edidit, nobis cum Pontificiis intercedentium c. 26. quæst. 3. leguntur. Ita vero ipse ait: *Sanctificatio*, (hanc Gonet & qui cum eo faciunt, justificationem vocant) *non est species justificationis*. *Ab invicem enim distinguuntur Apoc. 22. v. 11. I. Cor. 6. v. 11. Et Paulus distinctis capitibus agit de justificatione Rom. c. 3. 4. 5. ac sanctificatione Rom. c. 5. 6. 7. Deinde sanctificatio directe ipsi vitiositati, justificatio autem reatui opponitur: Hæc etiam in instanti fit; illa procedit gradatim.*

§. 7. Nostræ hæcenus explicatæ sententiæ porro illud obstare poterat & officere, quod ipse Spiritus Sanctus

C

hanc

hanc justificationem suo comprobâsse suffragio videatur, Apoc. 22. v. 11. dicens: ὁ δίκαιος & δικαιωθήτω ἐπι. Qui justus est, justificetur adhuc. Sed quam Spiritus Sanctus nobis mentem aperiat, datur facile assequi, revocato sub considerationis incudem ipso textu, ejusque consequentibus. Particula ἐπι & μάλλον sunt discernendæ. Μάλλον forte augmentationem significare poterat, sed ἐπι h. l. continuationem significat. Cum igitur heic non μάλλον, sed ἐπι inveniatur, licebit non accessionem novæ justitiæ vel augmentationem, sed pristinæ potius justitiæ retentionem & remissionis ac absolutionis a peccatis continuationem concludere. Imo ipso cap. cit. v. 11. pergitur: ὁ ἅγιος ἁγιασθήτω ἐπι. Sanctus sanctificetur adhuc. Non obscure sanctitatis studium heic commendatur, quod sane fieri sine tautologia non posset, si priora verba de incremento justitiæ per justificationem intelligi deberent.

§. 8. Ut autem rectius constet, quid Pontificii hic sentiant, prodeat ex eorum numero Gonet, qui se non in hoc foro sistit; sed infusæ potius justitiæ larva circumvestit.

§. 9. Gonet l. c. a. 4. (1) sic differit: Macula peccati, (quam per suam justificationem perfectam & completam auferri dixerat) non consistit in reatu & condignitate pœnæ, sed privatione gratiæ; atqui privatio gratiæ non potest tolli per solum favorem DEI extrinsecum, sed solum per infusionem alicujus doni gratuiti & supernaturalis, cum enim privatio sit carentia & absentia formæ, semper in subjecto intelligitur, donec forma opposita advenire concipiatur. Ergo homo non potest emundari à macula peccati per solum extrinsecum DEI favorem, sed solum per receptionem alicujus doni gratuiti & supernaturalis. Quid ad hoc argumentum, quod Gonet magni ponderis censet, respondere possit ac debeat, ex hæctenus dictis obscurum esse nequi. Quemadmodum enim Pontificii semper ei, quem jam intuemur, actui immiscere solent, quæ ab illo plane distinguenda sunt: Ita Gonet ea etiam, quæ a l. præsens non pertinent, adfert. Hoc ut percipiatur

capitur

cipiatur melius, pensiculemus, justificationem dupliciter sumi (1) generalius & latissime, prout suo ambitu regenerationem, simul & renovationem complectitur (2) specialius & in stricto significato, ut regenerationi & renovationi contradistingvatur &, si ejus rationem formalem spectes, cum neutra conveniat. Si priori modo justificationem capiamus, negandum non videtur, quod homo, qui justificatur, particeps fiat habitus illius, quo antea privatus erat; siquidem ex parte intellectus quædam lux spiritualis, ex parte, voluntatis rectitudo, vis etiam appetitum sensitivum cohibendi, confertur. Sed hoc nostram sententiam non infringit, cum latior acceptio hîc non attendatur. Quum autem posteriori modo justificationem consideramus, negamus, per justificationem tolli maculam ex peccato præterito in animâ relictam, aut oppositam formam in subjectum introduci, & petit Gonet id, quod in principio, hoc enim fit per alium actum à justificatione diversum.

§. 10. Secundum argumentum, quod Gonet proponit, hoc est: *Ea, quæ proveniunt ex natura rei & non ex libero DEI decreto, nequeunt mutari ex sola mutatione divini decreti, sicut ea, quæ ex solo DEI statuto dependent. Sed macula peccati provenit ex ipsa natura peccati mortalis, independenter à libero DEI decreto; sicut esse mortuum, cæcum aut ignorantem non provenit ex libero DEI statuto, sed ex natura harum privationum. Ergo sicut homo manebit mortuus, cæcus aut ignorans, nisi mutetur intrinsece & physice: ita peccator manebit maculatus, nisi per receptionem alicujus doni supernaturalis mutetur intrinsece.* Resp. quod à peccatore macula ex peccatô relictâ auferatur, & peccator per receptionem alicujus doni supernaturalis mutetur intrinsecè, nemo est, qui neget, negatur autem (1) quod ista macula peccati sit objectum justificationis h. e. id, quod in justificatione strictius usurpata tolli debet; postquam enim homo justificatus est, subinde adhuc ex peccato relinquitur macula in animâ, quæ proinde non per justificationem, sed per renovationem tollitur. Gonetus boni disputatoris officium

negligit, dum controversiæ statum nec recte format, nec recte formatum tenet. Caterum, quod ait Gonet, ea quæ proveniunt ex naturâ rei, & non ex liberô DEI decreto, non posse mutari ex sola mutatione divini decreti; maculam v. peccati provenire ex ipsâ naturâ peccati. &c. inde nihil aliud inferri potest, quàm hoc, quod macula peccati non possit mutari ex solâ mutatione divini decreti, quam conclusionem nescio cui oppositam velit Gonet: neque enim dicimus, maculam peccati mutari solâ mutatione divini decreti, sed hoc est, quod asserimus, maculam ex peccato in animâ relictam non expelli in justificatione per infusionem justitiæ. Quod sub finem præcedentis discursus ait Gonet, *peccatorem manere maculatum, nisi per receptionem alicujus doni supernaturalis mutetur intrinsecè.* Resp. verba hæc dupliciter intelligi posse, (α) quod peccator maneat maculatus fœditate morali sive culpâ, nisi per receptionem doni supernaturalis mutetur intrinsecè, quâ ratione assertum hoc negatur, quia ad hoc, ut culpa tollatur à subjecto, non requiritur intrinseca mutatio, sive receptio doni intrinseci, sed sufficit non imputatio, sicut in judicio civili ad tollendam fœditatem moralem seu culpam à delinquente non requiritur receptio doni intrinseci, sed satis est, si condonetur delictum. (β) intelligi potest, quod peccator maneat maculatus maculâ ex peccato relictâ per modum dispositionis inclinantis ad alia peccata, nisi per receptionem doni supernaturalis intrinsecè mutetur, quâ ratione hoc conceditur, sed non sequitur, quod hæc macula per receptionem doni supernaturalis tollenda sit in actu justificationis, ut in justificatione fiat mutatio per infusionem justitiæ. Dicis: à DEO tanquam justissimo judice peccata non posse remitti, nisi ille, cui remitti debeant, in se aliquid habeat, quod ad suorum delictorum remissionem faciat; Resp. Facita esse, nulatenus tamen id est quædam inhærens & intrinseca justitia per justificationem infusa, sed asserendum potius venit, fidem ad Christi meritum relatam id ipsum, esse, dum causæ impulsivæ minus principalis, externæ tamen rationem obtinet

obtinere quæ tamen non in justificatione, sed in regeneratione producitur. Ex quo iterum patet, quam longe Gonet à scopo reique veritate aberret.

§. II. Gonet pergit: *Macula peccati non pendet à DEO in fieri nec in conservari, tum quia non est aliquid positivum, sed mera privatio gratiæ, tum quia DEUS non potest esse autor l. conservator peccati. Ergo non potest sola sua voluntate vel per solam subtractionem sui concursus talem maculam delere aut destruere, sed ut illam tollat, necesse est, ut in anima peccatoris producat aliquam formam ipsi oppositam, quæ illam expellat, subindeque ipsum peccatorem physice & intrinsece mutet.*

Resp. Hoc argumentum ejusdem fere tenoris est cum præcedentibus. Cum igitur dicit Gonet, *maculam peccati non pendere à DEO in fieri, nec in conservari, non posse igitur solâ voluntate DEI l. per solam subtractionem sui concursus talem maculam delere aut destruere, sed ut illam tollat, necesse esse, ut in animâ peccatoris producat aliquam formam ipsi oppositam, quæ illam expellat & peccatorem physice & intrinsece mutet.*

Resp. repetendum est, quod in præcedd, dictum, maculam peccati sumi vel pro culpâ tanquam sceditate morali cum reatu connexâ, vel pro impurâ dispositione ex peccatô relicta: si prius, facile largimur, non posse talem maculam solâ voluntate DEI deleri, cum requiratur insuper satisfactio pro culpâ, & fides, quâ homini applicetur, sed inde non sequitur, infundi aliquid homini, per quod talis macula deleatur: sicut enim in genere morum hominem scedum reddit, ita per condonationem intuitu satisfactionis tollitur: si posterius, conceditur, quod ad hanc maculam tollendam producenda sit forma aliqua ipsi opposita, quæ eam expellat, sed probandum erat Goneto, hanc formam per actû justificationis introduci vel infundi, quâ de re altum est silentium. Certè ut dicamus, quod res est, Gonet in iis omnibus, quæ pro adstruenda sua completa & perfecta justificatione adduxit, primum conceptum cum eo, quod cum illo cohæret, turpiter confundit. Largimur enim ambabus, ut ajunt, manibus, hominem suorum peccatorum

remissionem non consequi, ex quò non mentis tenebræ quodammodo expulsæ, & voluntas mutata sit: Verum hoc ad justificandi actum, cujus rationem heic perscrutamur, non spectat, utut cum eo cohæreat.

§. 12. Vidimus, quid reo non imputetur, considerandum etiam est id, quod eidem imputatur. Pretium hoc nuncupatur, estque meritum Christi vera fide apprehensum seu justitia Christi. Ut autem, quæ ad nostræ sententiæ declarationem pertinent, rectius intelligantur, expendendum erit, quotuplici respectu Christo justitia tribuatur. Christus considerari potest vel ratione personæ vel ratione officii; cumque in una Christi persona duæ realiter distinctæ naturæ reperiantur, secundum utramque justus dicitur. Etenim secundum Deitatem essentialiter justus est, imò est ipsa essentialis, æterna & infinita justitia, quæ non realiter, sed nostro duntaxat concipiendi modo ab essentia divina distinguitur. Si Christi humanitatem consideremus, etiam secundum illam justus est: Connatam enim justitiam habet ac habitualem & exinde *ἀναμάρτητος* appellatur Joh. 8, 46. Ratione officii autem convenit Christo actualis quædam justitia, quando ipse, licet Dominus legis esset, legi semet ipsum subjecit, eamque partim implevit perfectè, partim maledictum ejus in se recepit, & pro nobis passus & mortuus est. Sane, in his duobus totam Christi obedientiam positam esse, scriptura luculenter docet. *Activa*, quam vocant obedientiam, in eo consistit, quod legem, quæ à nullo mortalium impleri poterat, in minimis maximis perfectissime implevit. Ipse enim Matth. 5. v. 17. ait: *Non veni, ut legem solvam, sed ut adimpleam.* Ubi cum dicit, se impleturum Legem, intelligit non tantum legem ceremonialem, sed & moralem adeoque decalogum. Dicis: Salvator ait, se non venisse, ut destruat legem, destruxit autem legem ceremonialem suo adventu. E. hæc intelligi nequit. Respondetur ex Harmon. B. Chemn. c. 51. Si hæc ad legem ceremonialem referantur, sensus erit, Christum non venisse, ut ceremonias Leviticæ tanquam malas, impias, vitiosas & DEO adversas destruat, sed ut illas tanquam

quam

quam umbras & figuram impleat, & præter impletionem finem ipsis imponat easque abroget. Si vero ad legem moralem, adeoque decalogum hæc referantur, sensus est, Christum non venisse ad solvendam vel destruendam legem decalogi, ut non amplius habeat vim Legis, sed ad implendum, quod præstitit, quatenus pro nobis factus est sub lege Gal. IV. 4. cui, ut porro habetur d. l. perfectissimâ obedientiâ seu impletionem pro nobis satisfecit ad justitiam omni credenti, Rom. v. 19. & 10. 4. Altera Christi obedientia passiva est, quæ in hoc consistit, quod ille integer & sanctus, nostri causa, legis maledictum & pœnas sustinuit. Ita enim Gal. 3. v. 13. legimus: *Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio.* Hæc igitur est actualis justitia, quam agendo pariter & patiando nobis Christus acquisivit. Ex his obscurum non est, nomine justitiæ Christi h. l. intelligi non solum obedientiam Christi passivam, qua Patri suo cælesti factus est obediens usque ad montem, mortem autem crucis, Phil. 2. 8. & variis, iisque gravissimis passionibus sese nostri causa subiecit; sed illam quoque, qua nostri loco legi sese submit, eamque pro nobis exactissimè implevit.

§. 13. Hæc Christi justitia, quæ in passione ac legis impletionem consistit, duplicem habet respectum: Alter est, quo ut acquisita; alter vero, quo ut vera fide apprehensa & applicata consideratur. Priori sensu accepta est causa meritoria: Christus enim hoc sanctissimo & perfectissimo suo merito gratiam justificantem nobis promeruit. Rom. 3. v. 24. Eam vero posteriori modo, ut applicatam, si pensiculemus, *objecti* rationem habet, & sic potissimum ad præsens facit. Est enim illa ipsa res, quæ nobis per fidem ad justitiam imputatur. Qua mentem nostram stabiliamus, ratio adest. Illud profecto pretium est adferendum, quo iudex movetur, ut delinquenti culpam condonet & à supplicio liberum pronunciet: At hæc Christi justitia & meritum est, cujus intuitu peccator peccatorum suorum veniam impetrare potest & pœna, quam dare debebat, liberari. Sane omnes legem DEI transgredimur, & peccatis Deum offendimus, unde, ut culpa,
cum-

cumque ea indivulso nexu conjuncta pœna ad nos pertineat, committimus. Et certe hæc peccata nobis ita imputarentur, ut æternis tenebris vinculisque constricti teneremur, nisi, qui legis maledictum sustulit, Christum haberemus. Hic enim, ut modo ostendimus, legis execrationem in se recepit, & ut illius terror nos amplius non percutiat, patiendo pro nobis & moriendo effecit. Deinde lex istud exigit, ut ipsi obedientiam omnibus numeris absolutam, præstemus, eique ut satisfiat, studiosissime laboremus. Quis! autem non animadvertit, nos idem efficiendi destitui viribus? Ut igitur & iste defectus refarciretur, & legi satisfaceret, Christus, ceu jam declaratum est, sponte sua nostri loco legem implevit & perfectam ei obedientiam præstitit. Est ergo Christi justitia & meritum vera fide apprehensum, quod à reo judici offerri debet.

14. Non est, quod nos interturbent *Piscatoris* dubia, quæ, ut hanc Christi obedientiam, quam Theologi *activam* nuncupant, destrueret, urgere voluit. (1) *Piscator*, homo Reformatus, putat, obedientiam Christi passivam & activam simul stare non posse. Si enim, ait ille, Christus legi se subjecisset, præstitissetque obedientiam, ut adeo hæc nobis ad justitiam imputaretur, opus non fuisset ipsius passione ac morte, quod tamen consequens absurditate carere non videtur. Sed nullus discursus præsentis nexus est. Quemadmodum enim ab hominibus non perfecta duntaxat obedientia divinæ legi præstanda, quam tamen præstare nequeunt, requiritur; sed ipsi etiam, cum Deum quotidianis peccatis lædant, pœnas subire debent. Ita Christus pro ipsis legem perfecte implevit, pœnasque eorum in se suscepit, ut adeo activa illa obedientia, posita passiva, rejicienda nequaquam veniat. Opinatur (2) *Piscator* exinde, quod lex non simul ad pœnam & obedientiam, sed tantum ad alterutrum horum obligare, dicatur, inferri, Christum, utpote pœnas legis perferentem, legi non obtemperasse. Verum quid heic responderi debeat & jamtum à summis Theologis responsum fuerit, non ignotum est. Scilicet falsum est & à veritate alienissimum, quod
lex

lex semper ad alterutrum horum vel pœnam vel obedientiam tantum, nunquam verò ad utrumque simul obliget. In statu equid em integritatis obligatus fuit Adam ad obedientiam tantum, non autem ad pœnam, quoniam nullum præcesserat delictum, quod homini culpam attraxerat. At alia ratio est creaturæ in peccatum prolapsæ, heic juri, quo ad obedientiam tanquam creatura rationalis obstringitur, nihil decedit, nec etiam obligatio ad pœnam orta ex delicto tollitur.

§. 15. Dubium oriri cuiuspiam posset, sed animo facile eximendum: Scilicet cum audimus, Christum *liberasse nos à maledictione legis*, Christum *nostram justitiam* esse dicimus; cum percipimus, Christum *suo sanguine nos immundos mundare*, oppido asserimus, Christi *sanguinem esse nostram justitiam*; rursus cum legimus *fidem nobis imputari*, eam *nostram justitiam* censemus. Hæc quum dicuntur, ane præter Christi meritum aliud adhuc pretium agnoscimus? Non ita; pretium illud solum & unicum est, quod in conspectu DEI valet; neque, quando *ea*, quæ jam enumeravimus, *justitiam nostram* appellamus, quicquam diversum intelligimus. Verbis tantummodo diversis eandem rem pronunciamus. Nam quando Christum eo, quod maledictio legis factus fuit, *nostram justitiam* vocamus, obedientiam illius passivam significatam volumus. Sanguinem Christi, per quem fit mundatio nostra, item Christi vulnera eo sensu accipimus, quatenus causæ meritoria nomen subeunt, nec diversum quid sunt à merito Christi. Denique quod ad fidem attinet, meritum Christi apprehendentem, hæc *nostra justitia* rectissime dicitur, nobisque imputatur ad justitiam Rom. 4. v. 5. eo tamen modo, ut inter has propositiones: *Meritum Christi imputatur ad justitiam. Fides Christi meritum apprehendens imputatur ad justitiam* discrimen aliquod constituatur. In priori enim tribuitur effectus causæ, ut ex valore illius per se fluat. In posteriori autem tribuitur subjecto nempe fidei effectus propter aliquid, ipsi accrescens, quatenus videlicet ad objectum justificum refertur. *Vid. Theol. Positiva Königii in loco de justificatione.*

§. 16. Pretii hæcenus descripti titulum non merentur (1) justitia nostra propria nobis inhærens (2) bona opera seu renatorum seu irrenatorum (3) fides ipsa, quatenus qualitas nobis inhærens est. Quin justitia propria recte hoc loco excludatur, nulli dubitamus. Id assequi facile erit, si, quæ paulo ante probata dedimus, in memoriam revocemus. Nempe sumus rei, peccatores constituti, delictorum nostrorum, veniam quærentes. Quis autem eo abit, ut peccatori, cui ex delicto reatus, cumque eo connexa pœna accrevit, justitiam coram judice valentem inesse opinetur? Opera etiam (2) nostra impræsentiarum plane sunt removenda: Nam præter id, quod maxima imperfectione laborent, actum istum non ingrediuntur, sed justificatos sequuntur. Conf. Rom. 3. 28. Gal. 2. 16. Tandem, quod fides, ut qualitas nobis inhærens est, pretii rationem habere nequeat, inde redditur perspicuum, quia imperfecta est, nec in se suaque natura quicquam habet, quô movere DEUM possit ad peccatorum remissionem.

§. 17. Hæc cum ita sese habeant, non cognoscimus solum, cujus delicti accusemur; sed etiam quod pretium sit offerendum, quo soluto exsolvisse hujus pœnas censetur. Proximum nunc est, ut, quæ sententia, hoc merito, ejusque infinito valore accedente, pronuncietur, expendamus.

CAP. V.

Quo sententia judicis proponitur.

§. 1.

Sententia, quæ reo, sed confidenti & meritum Christi suum per veram fidem facienti fertur, duobus assertis absolvitur. Primum est: Peccatori peccatum non imputetur. Alterum: Peccatori Christi justitia sive meritum imputetur, quamvis posterior actus, quô justitia Christi seu meritum ejus peccatori imputatur, ab aliis non male priori loco ponatur. Utrumque

que

que pronunciatum, & quod actum *σπρητικόν*, & quod *ῥαπικόν* indicat, accuratiorem considerationem meretur.

§. 2. Primus actus, quo Deus hominem coram suo tribunali justum pronunciat, in eo cernitur, quod iniquitatum vel peccatorum, tum originalis tum actualium remissionem faciat. Dicimus notanter *remissionem*; nam peccatum in justificando homine non plane tollitur aut prorsus extirpatur, sed tantum quoad culpam & reatum ipsi remittitur. Philosophi rei primum conceptum investigaturi præcipiunt, ut ille cum eo, cujus primus conceptus dicitur, reciprocetur, & quia primus est, omnem à priori rationem excludat. Nihil impedit, quo minus justificationem in remissione peccatorum *formaliter* consistere dicamus. Sane remissio peccatorum & justificatio reciprocantur, cum recte dicatur, justificationem esse peccatorum remissionem & peccatorum remissionem esse justificationem. Asserto fidem facit diligens inspectio locorum scripturæ de hac materia agentium, speciatim c. 13. v. 38. Act. Ibi hæc habentur: *Notum sit vobis, fratres, quod per ipsum (Christum) vobis remissio peccatorum annuntiatur & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Moysi justificari.* His verbis certum & immotum fundamentum salutis æternæ indicatur, hoc in quo consistat, ostenditur, nempe in condonatione iniquitatum; his enim remissis de salute certi reddimur: Hæc autem peccatorum remissio obtingit peccatoribus per & propter Christum, quia justificationem (idem est ac si diceretur; peccatorum remissionem) ex lege non habemus. Quis non capit, peccatorum remissionem hæc justificationem nuncupari, iuno ipsam Spiritus Sancti mentem huc redire, quod justificatio & peccatorum remissio seu condonatio convenient nec realiter distingvantur.

§. 3. Apprime etiam, quod debet probari, probat ille textus, qui 2. Cor. 5. v. 19. invenitur: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis peccata sua.* Defecerant scilicet homines à Deo per peccata ipsius inimici facti. Ut autem hæc inimicitia desineret ac creatura cum creatore suo

in gratiam rediret, Christus effecit, medicatorisque partes
explens mundum cum Deo reconciliavit. Hinc Paulus in
quo ista reconciliatio seu pacis cum Deo pactio recuperata
(quæ ipsa justificatio est) consistat, ostendens, ait, hanc il-
lius esse rationem, quod Deus pretio infinito motus peccata
vel iniquitates interitum attrahentes homini amplius *non im-
putet*, sed remittat, adeoque ipsum reatum & pœnas submo-
veat. Similia loca occurrunt passim in scriptura, quibus ju-
stificatio per remissionem peccatorum explicatur. Huc fa-
cit locus *Act. V. v. 31.* ubi Deus exaltasse dicitur Christum,
Servatorem ad *dandam pœnitentiam Israël* & *remissionem pec-
catorum*: Quibus Petrus significabat, per Christum non ob-
tigisse Judæis beneficia temporalia aut mundanam potesta-
tem, sicuti tali potestate præditum Messiam expectabant,
sed prævia pœnitentia per Christum obtingere illis remissio-
nem peccatorum h. e. justificationem à peccatis, eorumque
culpa & reatu. Spectat huc quoque Locus *Act. 10. v. 43.*
ubi Christo omnes Prophetæ testimonium perhibere dicun-
tur, quod remissionem accepturus sit per eum quisquis
in eum crediderit. Hic notandum, quod, quemadmodum
Rom. 3. 28. dicimur *fide in Christum* justificari: Ita h. l. pecca-
torum remissio promittitur habenti fidem seu credenti in
Christum, & sic justificatio non obscure per peccatorum re-
missionem explicatur. Talis locus occurrit quoque *Rom.*
4. 5. ubi Paulus agit de justificatione impii per imputationem
ad justitiam; hanc vero vers. 7. describit *per remissionem ini-
quitatum & obtectionem peccatorum*, perspicue indicans, justi-
ficationem consistere in peccatorum remissione. Hinc Spi-
ritus Sanctus etiam, horum, qui justificati à Deo sunt, statum
delineaturus dicit: *οὐδὲν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* *Nul-
la est condemnatio his, qui in Christo Jesu sunt* *Rom. 8. v. 1.* Quid
ergo peccatorum reatum & pœnam in hoc judicio tolli ad-
dubitemus? Relinquitur sane in remissione peccatorum ju-
stificationem consistere.

§. 4. Alterum actum, quem communiter ad justifica-
tionem referunt, supra diximus esse, quod Deus justitiam,
alie-

alienam (Christi scilicet) peccatori imputet. Quin enim eo modo, quo Christus pro nobis peccatum factus dicitur, nos in ipso iusti efficiamur, nulli dubitamus. Spiritus Sanctus 2. Cor. 5. v. ult. suo id confirmat suffragio: *Deus, in-
quiens, qui non novit peccatum Christum pro nobis peccatum fe-
cit, ut nos efficeremur iustitia DEI per illum.* His verbis duo subinnuuntur (1) quid Christo imputatum fuerit? (2) quid nobis per Christum imputetur. Christo innocentissimo culpa aliena nempe nostra imputata fuit, sanctissimus ille Salvator nullius unquam peccati reus, peccatorum pœnas acerbissimas subiit: Nos maximorum scelerum rei reputamur iusti, iustitia nobis aliena (nimirum Christi) imputatur: Nostra enim si quæ est, ob imperfectionem suam in iudicio DEI consistere nequit. Conf. *Psalm. 143. v. 2.* In eo certe conveniunt illa, quæ nobis fit, imputatio; & ista, quæ Christo Jesu facta fuit, quod utraque subiecto non merenti fiat, atque adeo eadem utriusque fit ratio. Christum autem non peccasse nec subiectivam inhaesionem peccati hic locum habere, Epistola ad Ebræos c. 7. v. 26. indicat, dum eum *δέξι-
ερά ὄσιον, ἀκακον, ἀμίαντον καὶ κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν*
h. e. Pontificem sanctum, innocentem, impollutum & segregatum à peccatoribus nuncupat. Quod nihilominus optimus Salvator propter alienorum peccatorum (nostrorum scilicet) imputationem peccatis onustus fuerit c. 1. v. 29. *Job.* probare videtur, cum dicitur *portare peccatum* (non suum, cum ipse nullum in se habuerit) *sed mundi.* Luc. 22. v. 37. *μετ' ἀνόμων ἔλογίζθη.* Inter iniquos deputatus est. Hæc cum ita sint, obscurum non est, alienam iustitiam nobis imputari, nostram autem non esse, quæ coram DEI Tribunali valeat.

§. 5. Duplicis generis autem est imputatio (1) simplex, quando subiectum ipsum in se spectatur & ita de ipso, ipsiusque effectu, prout in se est, æstimatio instituitur: (2) Permutatoria, quando à iudice in consideratione subiecti vel personæ attenditur, non quid in se habeat, sed quid acceperit ab alio. Impræsentiarum quæ locum inveniat, dispiciemus. Simplicem huc non pertinere, manifestum est: Quod vero permutatoria ad præ-

sens faciat, in præcedd: sufficienter probatum dedimus. Neque est, quod quis permutatoriam neget: Admirandum enim heic justitiæ & misericordiæ divinæ temperamentum deprehendimus, ut neque infinita DEI justitia peccatorem, puniens inexhaustum divinæ misericordiæ fontem obstruat, neque immensa DEI gratia & misericordia tollat justitiam justissimo judicio peccata punientem. Quod enim sine satisfactione Deus peccata non remittit, *justitia est*; quod vero alienam satisfactionem acceptat & peccatori imputat, id est *misericiordiæ*.

§. 6. Hic iterum adversus nos tela parat Gonet, ac, ut, nostram rationem destruat, laborat: Etenim pro justitia sua inhærente pugnans, Christi justitiam, quæ nobis non inexistit, plane vult exclusam. Verum hæc tanta non sunt, ut fugare nos queant & à recepta sententia repellere, cum, quo omnes ictus feliciter excipiamus, imo retundamus, nobis nunquam defuturum esse speremus.

§. 7. Gonet disp. 1. art. 2. §. 1. argumentum (1) his verbis concinnat. *Peccatum Adami realiter à nobis contrahitur, nec enim dicimur peccatores per hoc ipsum, quod peccatum primi parentis commissum in Paradiso terrestri nobis imputetur, sed quia in anima cujusque quando concipitur, realis macula & iniquitas reperitur. Ergo justitia, quæ tali peccato opponitur, illudque ab homine expellit, non debet esse quid externum & imputativum, sed internum & reale in anima.* Resp. Gonet videtur id, quod realiter alicui competit, ita accipere, ut ei, quod imputative tale est, contradictorie opponat, putans justitiam, quæ imputative nobis inest, non competere nobis vere & realiter, qua nihil absurdius dici poterat. Deinde argumentatur Gonet ex falsa hypothesis. Actum enim, quo peccati culpam & pœnam nobis condonari juxta scripturam credendum est, cum eo, quo peccati macula aut id, quod se per modum pravæ dispositionis habet, expellitur, turpiter confundit, cum tamen hi actus à se invicem distingvendi probe sint. Concedendum utique est, peccatum, si illius adæquatam conceptum perpendamus, non tolli ab hominibus, nisi

nisi interiores motus, à Spiritu Sancto in illorum cordibus excitati, accedant ac justitiæ, quæ vitiositati opponatur, opera detur, eaque perpetim augeatur; sed hoc à præfenti alienum est. Hic enim de actu judiciali justificationis, quem scriptura sacra nobis sistit, sermo est, quo nihil peccatori infunditur, nihil expellitur. Gonet collectioni huic robur quoddam addi opinatur ex sequentibus: *Christus*, inquit ille, *restituit nobis, quod perdidimus in Adamo: Sed in Adamo perdidimus justitiam intrinsecam, nimirum justitiam originalem, quæ erat forma aliqua seu perfectio inherens animæ Adami, quam transfudisset in omnes suos posteros, si non peccasset. Ergo Christus per justificationem nobis communicat formam aliquam seu qualitatem intrinsecam, à qua justii denominamur.* Resp. si Gonet hoc ita intelligat, ut quicquid in Adamo perdidimus, id per Christum nobis restituatur, & cum originalem justitiam amiserimus per Adamum, eandem nobis per Christum recuperatam esse, & si non in hac, tamen in futura vita penitus restitui, totum illud, utpote quod nostræ sententiæ neutiquam obstat, concedere possumus: Sin vero Gonet hoc ita acceptum velit; quod, quemadmodum primi parentes originali justitia ipsis intrinseca in primævo statu fuerunt præditi; ita nos per justitiam nobis infusam & intrinsecam justificemur, illud ipsum negamus prorsus ac pernegamus. Christus quidem justitiam in Adamo deperditam restituit, non tamen, ut eo modo insit, quo fuit in primis parentibus; confundit igitur Gonet rem ipsam & modum attributionis. Quin imo in Controversia non est, an Christi beneficio habeamus justitiam aliquam inherentem, sed an illius dignitate coram DEI judicio valeamus consistere. Illud affirmari potest; hoc vero penitus est negandum.

§. 8. Gonet (2) ita ratiocinatur: *Justificatio peccatoris provenit tanquam à causa à dilectione DEI supernaturali, qua diligit hominem in ordine ad vitam æternam: Sed à tali dilectione forma aliqua intrinseca & supernaturalis in hominem derivatur. Ergo justificatio impii fit per aliquam formam seu qualitatem inherentem & non per solam justitiam DEI aut Christi nobis*

nobis imputatam. R. Falsum est & nulla unquam ratione probari potest, quod dicitur, à dilectione DEI, qua diligit hominem in ordine ad vitam æternam, illico formam intrinsecam provenire: dilectio enim DEI & gratia, quæ hic expendenda est, cum ea, qua ab æterno credentes Deus elegit, eadem est: At vero dici non potest, quod ab æterno à dilectione DEI provenit forma aliqua intrinseca, cum tale subjectum ab æterno non extiterit. Excipit Gonet: *Amor DEI non est sterilis, sed maxime effectivus* E. Resp. quid tum? Eo non evincitur, quod ex amore & gratia DEI in justificatione forma aliqua intrinseca homini peccatori infundatur: Sane amor formaliter spectatus nihil aliud importat, quam benevolum affectum, quo alter in alterum tangitur. Quamvis autem huic affectui ea tribuenda esse non negemus, quæ in alterius nempe illius, qui amatur, salutem vergunt, nullatenus tamen necesse est, ut hic in altero intrinsecus aliquid operetur aut ei aliquid infundat. E. g. Pater liberos suos maxime amat, amor ille non est sterilis, sed effectivus, per ipsum vero in liberorum animas derivari aliquid ac illis infundi, quo fundamento adstruetur?

§. 9. Argumentum (3) quo Gonet hic utitur, ita habet: *In justificatione homo adoptatur in filium DEI: sed filiatio adoptiva DEI fit per aliquam formam intrinsecam. Ergo justificatio impij fit per receptionem alicujus formæ intrinsecæ & anime inherentes, nimirum gratiæ & charitatis.* Resp. Quod filiatio adoptiva fiat per formam aliquam intrinsecam, probari haut potest. Thomæ rationem, ad quam Gonet provocat, si consideremus, ea nihil, quod erat evincendum, evincit. Thomas enim ait, id peculiare habere *adoptionem divinam, quod Deus hominem, quem adoptat, idoneum faciat per gratiæ munus ad hereditatem.* Resp. Si vel maxime largiamur hoc, non tamen sequitur, quod Deus eum, quem adoptat, idoneum faciat ad hereditatem cælestem percipiendam per qualitatem infusam aut hanc infundendo justificet hominem peccatorem, cum homo reddi possit & vere reddatur idoneus per imputationem justitiæ Christi per fidem; Per hoc enim quod justitia

&

& satisfactio Christi homini per fidem applicatur & à Deo tanquam ipsius hominis iustitia acceptatur, idoneus est homo, ut sit filius DEI, à Deo igitur in gratiam est receptus & adoptatus in filium absque qualitatis infusione.

§. 10. Quartum, quo Gonet sibi placet, argumentum est hoc: *Causa formalis & efficiens non possunt in unam eandemque rem coalescere, cum formalis sit interna, efficiens vero externa. Sed Christi iustitia est causa efficiens nostræ justificationis, Ergo non potest esse causa formalis nostræ justificationis.* Respondetur: Non est absurdum, unam causam efficientem simul esse & formalem, dummodo diversus respectus probe attendatur. Si Christi iustitia spectatur *ut acquisita*, fate-mur, eam causæ efficientis & quidem meritoria nomine venire. Nam amiseramus per lapsum Adami vitam & iustitiam, quæ coram Deo valebat, omnem, imo per peccatum à Deo avulsi fueramus: Ut itaq; statui restitueremur pristino ac damnum repararetur, Christus in mundum venit, iustitiam, dum legem divinam, quæ à nobis nequaquam impleri poterat, implevit, huiusque maledictum etiam in se recepit, comparavit, ac Patrem cœlestem reconciliavit, ut adeo ab hac *iustitia* tanquam causa efficiente impulsiva externa justificatio nostra proficiscatur. Hæc etiam *Christi iustitia*, ut per veram fidem apprehensa & fidei imputata spectari potest: Non enim quicquam prodest Christi iustitia & meritum, nisi id ipsum nobis appropriemus, firmiter credentes, per illud æque justificationem & vitam nos adepturos esse, ac si ipsi hoc præstitissemus. Hinc David, & cum eò Apostolus eum beatum pronunciat, *cui Deus imputat iustitiam* Rom. 4. v. 6. iustitia autem aliena (Christi nimirum iustitia) quidni *formalis causæ* rationem subeat? Confirmare quidem ulterius assertum suum Gonet conatur, quando absurdum exinde sequi autumat: *Christi iustitia* (inquit iste) *non suscipit magis & minus; si homines essent iusti per solam imputationem iustitiæ Christi, omnes essent equaliter iusti, subindeque æquales in beatitudine contra illud Christi: In domo Patris mei mansiones multe*

E

multe

multæ sunt. Resp. Ita est. *Justitia Christi in omnibus justificatis æqualis est, neque sane ullam inæqualitatis notam ex scriptura quisquam proferre potest, totam Christi justitiam singulis æqualiter oportet imputari. Quod excipit Gonet; ergo æqualem esse etiam beatitudinem.* Resp. beatitudo aut vita æterna dupliciter potest considerari (1) in se (2) ratione eorum, quæ ipsi accidunt. Si priori modo sumatur, æqualem esse beatitatem in omnibus, qui eam consequuntur, certum est: Si vero posteriori modo capiatur, dari quosdam, æternæ beatitudinis gradus, concedi potest: Sed quid eo infringetur?

§. II. His igitur ita habentibus, rejectisque erroneis, quas Pontificii fovent, sententiis, patet, per *Forum DEI absolutorium*, nihil aliud intelligendum esse, quam iudicium illud, quo Deus Trinus, tanquam iudex justus, simul & misericors, reum convictum, sed confidentem & verum ac infinitum pretium offerentem, à peccatis absolvit & ei justitiam Christi verè imputat, ut in DEI honorem, rei vero salutem id ipsum cedat.



Objecto clypeo propugnat dogma *Quiritum*

Atque Thomæ Gonet Marte doloque ruens.

Fulcit pugnantem veteris constantia falsi,
Nixaque majorum lege superstitione.

At Te magnanimum sacri fiducia verbi
Reddit, & ut quatiens improba scuta, monet.

Quæ tibi divinæ scripturæ gaza ministrat,
Telis Gonetis vilia scuta petis.

Con-

Conforsò clypeò vindex rapis arma Sophistæ,
Et latebras omnes excutis atque dolos.

Afferis æternæ qui fundamenta salutis
Fraudibus edomitis, nomina pulchra geres:

*In honorem doctissimi Domini Respondentis
& Autoris hujus disp. scrib.*

PRÆSES.

Divinum, PFEIFFERE, forum, quo crimina
nostra

Tractantur, studii est materia ampla Tui.
Atque illuc dum quemque trahunt peccata pa-
trata,

Nemo debebat nescius esse fori.

Scilicet ut culpa & pœnarum mole remota,

Impavidus vocem judicis excipiat.

Sed Romana cohors processum fingere fal-
sum, &

Magno homines damno ludificare solet.

Tu sancti, PFEIFFERE, fori defendis honorem,

Teque Dei atque hominum porro manebit
amor.

*Eximio Dn. M. Respondenti, eidemque Autori
hujus disputationis, amico & Auditori
meo per dilecto, honestorum conatuum
felices successus ex animo apprecans
scrib.*

Johannes Gvilielmus Bajer,

D. P. P.

Ardua

Ardua res, quâ justus homo ratione putetur,
Tradere, num Christi, justitiâne suâ?
Rasa cohors obstat multis, aliique minantur
Errorum virus fundere velle suum.
At Tua cùm spiret mens ardua; fortiter istoc
Aggressa est pariter sedulitatis opus.
Mirantur dotes cuncti, miramur acumen,
Explet multorum pagina docta sitim.
En! respondebit meritis fortuna: Capesses
Ardua. Sic Tua laus surgat, honorq; Dei!

*Dn. Fautori ac Amico singulariter
estimando f.*

**M. Christoph. Ständer/
Numb.**



Coll. Schön. H. 146, 8